


CAT 175-4862a/



R.84.347

INSTITUTIONUM
PHILOSOPHICARUM
P. FRANCISCI JACQUIER
SYNOPSIS
DISPOSITA

*A MICHAELE CARRERA ET SOL,
in Univers. Cesar-Aug. Sacrae Theol. Lic.
& ejusdem Civ. In Reg. Sem. Conc.
Ss. Valerii & Braulii Phil. Proff.*

PARS SEXTA. ETHICA.



8.24742n

SUPERIORUM PERMISSU:

~~~~~

Cesar-Aug.: Typis Viduae Francisci Magallon.  
Anno 1832.

*Se hallará en la Librería de Magallón.*

DEVONSHIRE

THE HISTORY OF

THE ENGLISH COUNCIL

1628.

BY JAMES

THE CHIEF MASTERS OF THE COUNCIL  
IN THE REIGN OF KING CHARLES I.  
WITH A HISTORY OF THE COUNCIL  
IN THE REIGN OF QUEEN ELIZABETH.

IN TWO VOLUMES.

PRINTED FOR JAMES DODSLEY,

1628.

## PROEMIUM.

Q. Quid est Ethica? R. Scientia morum,  
- seu quæ docet mores regere secundum  
principia juris naturæ.

Q. Quotuplex est? R. Duplex; generalis, quae considerat officia generatim, virtutem nempe & vitium; & particularis, quae seorsim hominum officia considerat.

Q. Quot sunt partes præcipuae Ethicæ particularis? R. Tres: 1<sup>a</sup> quæ considerat officia erga Deum: 2<sup>a</sup> erga se ipsum, & hæc vocatur jurisprudentia naturalis: 3<sup>a</sup> quæ erga alios, & hæc politica nominatur. Cave ne nomine politicæ, fraudis artem intelligas; pro fundamento enim habet hæc alios diligere sicut nos, quod fugat omnem dolum.

Q. Quid est jus naturæ? Legum naturalium scientia: leges naturales sunt principia, quæ unicuique facile patent solo rationis lumine.

Q. Ergo idem est jus naturæ ac Ethica.  
R. Neutiquam: jus naturale est speculativum, Ethica est practica; seu jus docet virtutes esse adquirendas, hæc

autem quomodo adquirantur.

Q. Quid est jus gentium? R. Obligatio mutua, quam inter gentes ratio constituit, & est primarium & secundarium.

Q. Quid est jus gentium primarium? R. Quod cum societate initium habuit, v. g. civium erga patriam officia.

Q. Secundarium? R. Quod temporum successione natum est, & ex mutua hominum necessitate originem habuit; v. g. dominia, imperia.

Q. Est idem jus politicum, ac gentium? R. Minime; sed est pars hujus: & est generale, quod nimirum plerisque imperiis est commune, & particulare, quod ad statum aliquem pertinet.

### CAPUT. I.

#### ETHICÆ GENERALIS.

#### ARTICULUS I.

##### *De moralitatis principio.*

Q. **D**ixisti tres esse præcipuas Ethicæ divisiones; quæ respicit officia erga Deum, erga se ipsum, & erga alios, à quo principio fluit hujusmodi obligatio? R. Erga Deum, quia sumus ejus creaturæ; erga nos, quia à creatore nobis rectus usus

facultatum donatus est; erga alios, quia  
in societate sumus constituti.

Q. In quo consistit moralitatis principium?

R. Alii à natura hominis, alii à conscientia duxerunt; nos vero dicimus fluere ex notione Dei & creaturæ rationalis: hæc que est veluti basis totius philosophiæ moralis.

Q. Si tanti æstimanda est hæc quæstio, quid quærimus, dum investigamus, in quo consistit principium moralitatis? R. Idem ac si quereremus, quare actiones sint bonæ, quare sint malæ: utrum nimirum sint bonæ vel malæ, quia conscientia id dictat, ut dicunt aliqui, an justi & honesti ratio ex Deo justitiae fonte desumenda sit, quod nos asserimus: seu clarius, quænam sit regula, cui applicari debeat actiones, ut bonæ, aut malæ cognoscantur.

Q. Firmissimis rationibus probatur hæc quæstio? R. Sane: & quidem quia intellectus divinus est infinitus, errori obnoxius non potest esse sicut hominis, nisi forte ex conformitate intellectus humani cum divino principium desumamus. Præterea mens affectibus potest esse depravata, & judicare malum ut bonum, ut quotidie observamus in odiis, ubi vindictæ nullus est modus. Quomodo ergo poterit esse regula justi & injusti? ergo solus Deus est.

Q. Quid ergo tot homines, qui absque Dei

notitia piè, sancteque vixerunt, & quorum mores à SS. PP. commendantur? Hi sane non à Deo, sed à semetipsis desumunt principium moralitatis. R. Hi & alii pene innumeri actiones bonas in se operantur, sed sunt actiones malæ ob depravatum finem, ad quem tendunt, & à motivis, qualia sunt gloriæ ambitio; vel saltem non sunt actiones morales: hic non tantum disputamus de principio, quod ad societatem satis sit, sed de illo, per quod ad rectum finem debent dirigi actiones humanæ; jam vero sine Dei notitia nullus est rectus finis.

Q. Ex amore sui nascitur aliorum amor, cum omnes unum efficiamus corpus. R. Sed hic amor debet dirigi ab alio principio, aliunde ad propriam utilitatem convertereatur in omnibus actionibus, ac proinde erimus cives, non boni.

Q. Res suam habent naturam immutabilem ut ignis & aqua, ita etiam virtus & vitium? R. Alia est differentia naturalis, quæ desumitur à qualitatibus physicis, hæcque pendet ab intellectu divino, adhuc enim seclusa divina voluntate, hanc inter virtutem & vitium cognosceremus; alia est moralis, per quam actiones moraliter inter se differunt, quæ ex Dei voluntate pendet: ita distinguendum inter bonum naturale, quod pendet à natura, & morale, quod desu-

mitur à principio moralitatis, de hoc se-  
cundo loquimur in præsenti.

Q. Virtutis & vitii notio insita videtur. R.  
Sed simul cum Dei notione conjuneta:  
nega Deum, virtutem & vitium negasti,  
uti legere est in Atheis, qui nihil hone-  
stum esse docuerunt.

Q. Differentia moralis actionum est intrin-  
seca, an pendet ab hominum opinioni-  
bus? R. Est intrinseca. 1. moralitas e-  
nim actionum desumitur à divina essen-  
tia, & attributis, ac proinde non mi-  
nus est immutabilis quam hæc. 2. ex homi-  
num consensu: quis non horret cogita-  
re nullum esse inter parricidam, adulter-  
rum &c. & virum honestum discriminem?  
3. ex societatis natura; homines ad so-  
ciatem natos esse, nemo est, qui dubitet: at  
si nulla esset inter morales actiones diffe-  
rentia, nullo jure, nulla ratione gubernaretur homo, pro varia utilitatis, com-  
modi, voluptatis opinione agere unicuique licebit: hinc criminum monstra, at-  
que societatis pernicies, & ruina: ergo.

Q. Sed hoc discriminem, quod videtur esse,  
pendet à consuetudine & educatione. R.  
Neutquam; sicut à natura veri & falsi  
notio est insita, ita boni & mali: ho-  
mo enim tranquillus post affectuum tu-  
multus, se præteriisse plurimos officii sui  
numerous fatebitur, & stimulo constien-

tiæ cruciabitur.

Q. Deus usus est sua libertate in mutando bono & malo, ut infinita Scripturæ demonstrant argumenta. R. Deus est auctor vitæ, & omnium dominus, ac proinde justè potest eripere & bona, & vitam. Deus etiam potest apponere legi naturali quasdam circumstantias, ob quas mutatur ipsa legis materia: quibus positis desinunt esse præcepta legis naturalis, & hæc mutatio impropria dicitur: sed iisdem permanentibus, non potest efficere, ut quod malum est, bonum fiat.

Q. Homines in iisdem positi circumstantiis eodem modo agunt. R. Nego: vir honestus in rebus adversis non secus, ac in secundis æquam servat mentem, non ita superbus.

Q. Si Deus beatos vult efficere homines, non cum anxietate, sed cum voluptate est consequendum, ac proinde sine hac differentia. R. Hæc est perversissima Epicureorum doctrina, de qua satis in præcedentibus est loquutum.

## CAPUT. II.

*De Lege naturali generatim considerata.*

Q. Quid est lex? R. Regula, juxta quam actiones nostras liberas determinare te-

nemur; ex quo patet, legem ad rationem spectare, ac proinde rationem aliquam debet habere lex quaelibet, & non pro ratione voluntas; attamen legislator non semper tenetur notam facere rationem.

Q. Quotuplex est lex? R. Duplex, divina, quæ à Deo, humana, quæ ab hominibus, potestate tamen à Deo accepta, vim habet obligandi.

Q. Quotuplex est lex divina? R. Triplex, æterna, naturalis, & positiva.

Q. Humana? R. Duplex, ecclesiastica, & civilis.

Q. Quid est lex æterna? R. Ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem servari jubens, perturbari vetans, seu ea, quæ statuit, quæ necessaria sunt creaturæ rationali, ut secundum suam naturam vivat.

Q. Quid est lex naturalis? R. Ipsa lex æterna creaturæ significata solo lumine naturali.

Q. Lex æterna est immutabilis? R. Utique.

Q. In quo distinguitur à naturali? R. In eo, quod haec tantum addit promulgationem.

Q. Ergo erit idem jus naturale ac lex naturalis. R. Neutquam: jus enim dixi esse legum naturalium scientiam.

Q. Lex differt à præcepto? R. Differt: illa differtur à persona publica, hoc à priva-

ota: illa respicit bonum commune, hoc  
privatum: illa non expirat morte ferentis,  
nihil vero expirat.

Q. Quid est lex positiva? R. Quæ non per  
lumen naturale, sed alio signo promul-  
gatur, & hæc est mere positiva, si non  
præcipit, aut vetat, quæ continentur in  
jure naturali, seu est naturalis ex parte  
materiæ, si quod naturale est, jubet aut  
vetat.

Q. Quid est lex positiva divina? R. Quæ à  
Deo lata est.

Q. Quotuplex est? R. Duplex: vetus, quæ  
à Moyse, & nova, quæ à Christo pro-  
mulgata fuit.

Q. Quid est lex Ecclesiastica? R. Quæ à  
potestate ecclesiastica fertur, & hæc leges  
constituunt jus canonicum.

Q. Quid est lex civilis? R. Quæ sancitur  
ab habente potestatem civilem, ut à Re-  
ge, & ex his componitur jus civile.

Q. Quotupliciter considerari possunt princi-  
pia naturæ? R. Tripliciter: alia sunt  
communia, ex quibus cætera derivantur:  
v. g. agendum est ex rationis dictamine:  
alia, quæ ex his proxime deducuntur: v.  
g. parentes sunt colendi; & alia, quæ  
deducuntur remotè: v. g. usura non est  
licita.

Q. Est una & indelebilis legis naturalis no-  
tio quantum ad universalia proximaque

principia, & in lege naturae rationem  
habent omnes leges? R. Utique; etenim  
lex naturae in essentia divina & natura  
rationali fundata est: erit igitur immu-  
tabilis ut Deus & hominis natura: erit  
ergo una & indelebilis. Nec minus cer-  
tum est, esse apud omnes indeleibilem &  
unam, si primitiva legis naturae principia  
spectentur: his docemur, vitam, ratio-  
nem a Deo nos habere, ex quo nasci-  
tur dominium Dei, hinc amor, & of-  
ficia erga Deum; ex ipsa Dei essentia  
colligitur Deum velle perfectiones homi-  
num, hinc amor erga nos, desiderium  
felicitatis; ex amore sui ipsius aliorum  
amor, homo in societate constitutus ope-  
aliorum indiget, hinc erga alios officia  
&c., ergo.

Q. Et quantum ad principia minus proxi-  
ma? R. Neutquam; etenim indigent ra-  
tiocinatione & persæpe longiori & diffici-  
li, ad quæ non pervenitur, aut defectu  
ingenii, aut corruptione passionum. Tertium  
vero, omnes leges in naturali fundari pa-  
tet, & quidem lex naturalis ex ipsa ratione  
fluit, omnis autem lex ratione gubernari  
debet: ergo lex naturalis est omnium le-  
gum norma & regula.

Q. Audivi plurimas gentes & quidem cul-  
tiores tulisse leges iniquas, immo & na-  
turæ contrarias; ergo haec violarunt pri-

ma principia. R. Violarunt legem naturae non speculative & quantum ad principia universalia, sed practicè; leges has esse conformes legi naturae iudicabant: igitur error erat in consequentia; v. g. sciebant parentes esse colendos, & dum vitam eripiebant ob vetustatem, credebant se obsequium ipsis praestare: idem dic de aliis.

Q. Lex vetus contraria legi naturae præcipiebat, ut lex talionis, & de vinea aliena tantum sumere quantum vellet quis.

R. Lex talionis erat ad reprimendas flamas odiorum, & ut modus vindictæ impuneretur, immo non erat vindicta, sed defensio, quæ non est prohibita: illa enim lex non nisi à judice imponebatur: lex de vinea in pauperum favorem lata est, ut sitim extinguerent, sed non licebat aliquid domum deferre.

Q. Si eadem non est apud omnes notio quantum ad principia derivativa, ignorari possent hæc principia: excusarentur ergo à peccato; nemo autem reus legis naturae excusatur à peccato: ergo. R. Duplex est ignorantia; invincibilis, & vincibilis (ut dictum est in Metaphysica); prima excusat à peccato, non secunda: principia primitiva, nec una, nec alia ignorari possunt, derivativa proxima, solum vincibili, quæ non excusat; remota vero

ignorari possunt invincibiliter.

Q. Leges non possunt habere rationem in naturali, si sibi invicem contrariantur, & mutationibus sunt obnoxiae; lex enim naturae est immutabilis. R. Pro varia temporum & locorum circumstantia: lex humana potest pati mutationem, quin ipsa lex naturae mutetur, sicut medicina absque mutatione mutat languentibus praecpta, idque ex ipsa lege naturali notum est.

Q. Quid est lex praeceptiva? R. Quae obligat ad agendum.

Q. Prohibitiva? R. Quae obligat ad non agendum.

Q. Permissiva? R. Quae ad agendum, vel non agendum dat jus.

Q. In quo differt permissio tacita ab expressa? R. Quia permissio expressa aliqua lege permissiva comprehenditur, & tacita nulla lege comprehenditur, sicque nulla lex potest permissione expressa permittere malum, sed tantum tacita, sicut se gesit Deus erga Judaeos in libello repudii, & in usura in alienigenas.

Q. Lex naturalis potest abire in divinam & humanam? R. Potest; est enim naturalis, quia natura dictat; divina v. g. fursum, quod vetat Deus in lege veteri & nova; & humana, quod vetat Rex.

Q. Si omnes leges à naturali ducunt ori-

ginem, omnes leges erunt de jure naturae, & divino, & non humano. R. Neutiquam; sed lex, quae proximè dicit originem à naturali, non quae tantum dicit originem remote, ut lex humana.

Q. Lex antiqua fuit imperfecta, & inutilis? R. Non fuit inutilis, quia præcepta moralia continebant officia hominum, & etiam nunc obligant hæc præcepta; nec fuit imperfecta in se, sed respectu novæ legis cujus erat figura. Judicialia formam judicij pro illo populo constituebant; cœremonialia erant ritus, qui magna mysteria continebant, & significabant præcipue Mesiam, in cujus adventu cessare debuit lex vetus.

Q. Sibi invicem adversantur leges & simul concurrunt. R. Apparenter tantum: dum fit concursus plurium legum, quæ fortior est, ea observanda est, jam vero fortior est naturalis, ideo si cœterā concurrunt simul, prius naturalis est observanda: si v. g. opera charitatis concurrunt simul cum auditione sacri, hoc est omittendum.

## A. II.

Q. Quid est obligatio? R. Conexio motivi cum actione, & vocatur positiva, si motivum concretat cum actione Legislator; at vero si ex natura sua jam sit

conexum, ut honor debitus v. g. parenti, dicitur naturalis.

Q. Quis est auctor obligationis? R. Deus: creavit enim omnia.

Q. Lex positiva indiget promulgatione? R. Utique; aliter enim voluntas legislatoris constare non potest, ideoque nec obligare.

Q. Quando incipiunt obligare leges? R. A tempore quo in lege exprimitur: si nihil dicit, ab ipsa promulgatione.

Q. Quid est imputatio? R. Judicium, quo agens declaratur causa libera effectuum, qui ex ipsa actione consequuntur, sive boni, sive mali sint.

Q. Ergo ut imputetur actio debet esse libera.

R. Ita est: qui enim necessario agit, aliter agere non potest: loquimur hic de necessitate physica, non de morali.

Q. Ergo actiones brutis imputari non possunt. R. Ita est; carent voluntate, nisi forte quis teneatur impedire aliquas actiones brutorum, ut si quis noverit canem esse mordacem, & eum per urbem libere vagari permisserit, non bruto imputatur, sed domino: idem dicendum est de rebus inanimatis.

Q. Quae dicta sunt de brutis, dicenda veniunt de actionibus humanis? R. Utique; sunt enim naturales, ut si ventriculus non fungatur recte suis muneribus non

imputatur homini, nisi forte sit ob gu-  
lam &c. ita de evagatione ad objectum  
aliquid.

Q. Imputantur actiones, quae non sunt ac-  
tus liberi? R. Sufficit ut fuerint liberi in  
causa praecedenti, ut somnium impudicum  
ob causam datam imputatur.

Q. Necessum est, ut causa praecedens fuerit  
positiva? R. Neutquam, satis est eam  
fuisse negativam, ut si quis oblitus fue-  
rit eorum, quae meminisse tenetur.

Q. Quænam ignorantia imputari potest? R.  
Tantum vincibilis, alia enim non est vo-  
luntaria.

Q. Quænam libertas requiritur ad imputa-  
tionem? R. Non solum à necessitate, sed  
& à coactione.

Q. Quando dicitur aliquem coacte agere? R.  
Quando agit impulsus vi externa.

Q. Quando coacte patitur? R. Quando alte-  
rius actioni vim resistendi non habet.

Q. Quid fieri debet in coactione, ut actio  
non imputetur? R. Debet fieri resis-  
tencia, si enim aliquid voluntatis miscetur,  
imputatur.

Q. Actio invita potest esse non coacta? R.  
Potest, & etiam imputabitur sed minus  
quam actio plenæ voluntaria.

Q. Quid est metus? R. Mentis trepidatio ob  
malum imminens.

Q. Quotuplex est? R. Duplex gravis, & levis.



Q. Quid est metus levis? R. Ille, in quo timeatur malum leve.

Q. Gravis? R. In quo timetur malum grave, ut mors, exilium.

Q. Quid est metus gravis absolute? R. Qui in omnibus, ut malum grave reputatur.

Q. Quid est metus gravis respective? R. Qui licet in se grave non sit malum, grave tamen est respectu metuentis, ut metus pueri, mulieris, &c.

Q. Reverentialis? R. Timor habendi parentem, vel superiorem infensum.

Q. Metu minuitur voluntarium? R. Minuitur, sed non tollitur, ideo actio imputatur, nisi forte rationem perturbet.

Q. Quot sunt genera praceptorum? R. Duo: negativa & affirmativa; negativa, quae veniam, praceptiva, quae jubent.

Q. In quibus praceptis homo excusatur metu? R. In negativis naturalibus non excusat ob quemlibet metum; ita non licet ferre testimonium falsum ad servandam vitam: at affirmativa naturalia non obligant pro quovis tempore, & in quavis circumstantia, nisi omissione vergat in contemptum fidei, aut in detrimentum Republicae, vel in scandalum; si haec absint cessat obligatio; ita a culpa immunis est, qui metu mortis non praestat necessariam opem proximo.

Q. Quid debet attendi, ut actio dicatur bo-

na? R. Omnes & singulæ circumstantiæ: si omnes sint bonæ, bona erit actio; si una tantum sit mala, actio erit mala; bonum enim ex integra causa, malum ex inquitum defectu.

Q. Quinam erraverunt circa obligationem legum? R. Carneades, qui ex utilitate hominum sancta judicavit jura; ita fons iuris naturæ fuisset utilitas. Hobbesius fere eadem statuit, sibi enim persuassit nullam dari legem naturæ, ac ad bellum natos fuisse homines. Spinoza credidit animum non esse liberum.

Q. Quid sentis? R. Dari obligationem, omnemque à divina voluntate emanare. Actum esset de societate, si unusquisque suo arbitrio vivere posset, hinc injustitiae, perfidiæ, crudelitas, &c.; si enim dicant, hæc frenari posse legibus civilibus, ergo Deus omnium parens & dominus curare debuit de legibus, quibus regeremur. Si ergo datur obligatio, non est dubium, quin legum naturalium & divinarum obligatio à Deo emanet: igitur solum de humanis in quæstionem vocari potest: iam vero hæc à Deo emanant; & quidem Deus pro qualibet temporum, & circumstantiarum varietate ordinem vult, & ab æternis decrevit hunc ordinem: sed pro diversa circumstantiarum & temporum varietate, & conditione emergunt

diversi casus definiendi ab aliqua auctoritatē: ergo: sed ad hos casus non sufficit naturalis, nec divina lex: ergo alteram auctoritatem debere esse, lex naturalis, ratio, & Deus postulant: ergo pariter Deus & ratio postulant hujusmodi obligationem.

Q. Ad quid valeret libertas? credendum ergo, obligationem à politia ortam fuisse.  
R. Libertas & ratio deserviunt, ut distinguamus verum à falso & apparenti, immo si tollatur obligatio, ad nihil deserviret ratio. Sane ad commune societatis bonum tendunt omnes leges, sed privata utilitas non est hoc bonum, nec quod nobis videtur utile, id faciendi jus habemus.

Q. Non arguitur recte, non datur Deus: ergo nec obligatio: sicuti nec ita, non datur Deus, ergo nec veritas. Athei enim cognoscunt differentiam inter veritatem & falsitatem, ergo subsistit obligatio in hypothesi Athei: ergo non emanat à Deo. R. Athei negando Deum, & obligationem negare tenentur, si velint stare suis principiis; illud discriminem est inter intellectum & voluntatem, quod judicium intellectus in propositionibus sit necessarium; at determinatio voluntatis est libera: itaque intrinseca differentia satis non est ad obligationem, ideoque

accedere debet Dei voluntas.

**Q.** Atheus cognoscit officia erga alios. **R.** Nego; quia hæc officia emanarent ab obligatione tantum politica, quæ officia constitutere non potest.

**Q.** Leges civiles non emanant à Deo, aliquando enim evertunt jura. **R.** Leges ini-  
quæ non sunt veræ leges: dum dicimus potestatem Regum emanare à divina, dicimus immediate tantum generatim, sed mediate etiam privatim.

**Q.** Dantur leges poenales, dispensationes &c. in lege naturali nulla potest esse dispensatio: ergo à Deo emanare non possunt. **R.** Etiam ius naturæ exigit privilegia & dispensationes. Sed claritatis gratia.....

**Q.** Quotuplex est lex poenalis? **R.** Duplex: mere poenalis, & mixta; & iterum est disjunctivæ, & conjunctivæ: v. g. nemo extrahat pecuniam, & qui extraxerit centum nummos solvat.

**Q.** Quid est lex mere poenalis? **R.** Quæ poenam dumtaxat decernit: v. g. qui frumentum extraxerit, solvat centum nummos.

**Q.** Mixta? **R.** Quæ præter præceptum decernit poenam.

**Q.** Dantur leges mere poenales? **R.** Si intelligatur lex disjunctivæ expressa dantur; utrumque enim absque culpa potest eligere quis; sed hæc non sunt veræ leges.

- Q. Quid est dispensatio? R. Juris provida relaxatio superioris auctoritate ad tempus concessa.
- Q. Est licita dispensatio in lege naturae, aut divina? R. In lege naturae nec Deus dispensare potest, in divina nullus homo.
- Q. In legibus positivis est licita? R. Licta, si adest causa, non vero, si haec abfuerit.
- Q. Quid est privilegium? R. Exemptio à lege in gratiam alicuius per modum legis perpetuae concessa, & eadem dieta habet, quæ de dispensatione.
- Q. In quo differt ab illa? R. Dispensatio non est per modum legis nec in perpetuum, & privilegium non nisi in bonum commune conceditur, cum sit lex.
- Q. Quid est consuetudo? R. Jus in prima sui origine non scriptum, usu, consensuque tacito introductum, quod successu temporis vim legis adquirit.
- Q. In quo differt à lege? R. Lex est à principe, & statim scriptis mandatur, consuetudo à populo, & usu, consensuque tacito illius inventa est.
- Q. Quid requiritur, ut vim legis habeat consuetudo? R. Quod respiciat bonum commune, est enim lex; quod principes non contradixerint, vel contradicere desierint, ut certo tempore à lege definito vigeat:

hinc ad argumentum, omnia hæc exigit etiam lex naturalis, ut fiat aliqua mutatio pro temporum & circumstantiarum varietate, & in gratiam aliquorum ob servitia in rempublicam: ergo conforme est legi naturali dispensare &c.

Q. Dantur actus indifferentes? R. In specie dantur, non individuo: nam deambulatio neque bona in se, neque mala est: ergo. Rectæ rationi conformandæ sunt actiones, & ob finem aliquem semper est agendum, si finis est bonus, bona evadit actio, si malus, mala: ergo.

Q. Quælibet actio habet bonitatem lege præscriptam, vel malitiam vetitam: ergo sunt indifferentes, alioquin nulla esset differentia inter actiones indifferentes in se, & in individuo. R. Quælibet actio suam habet bonitatem vel necessariam, vel hypoteticam, non præcissè semper necessariam: hæc est differentia inter actiones in se indifferentes, & præscriptas, quod præscriptæ habent bonitatem intrinsecam, saltem quatenus bonitas intrinseca opponitur arbitriæ, at indifferentes non nisi extrinsecam habent.

Q. Si actio quælibet ad Deum referri debet tamquam ultimum finem, peccata forent infidelium opera; id est falsum: ergo. R. Quælibet actio saltem implicitè, hoc est, ex motivo alicujus virtutis

& honestatis fieri debet, ideoque actiones infidelium sunt bonae bonitate naturali, sed non possunt esse bonae in ordine supernaturali.

Q. Dantur actiones indeliberatae: ergo. R. Sed haec actiones non sunt humanae, ideoque ad physicas referri debent, hic loquimur de deliberatis.

Q. Qui omittit consilium, agit actionem indifferentem. R. Qui omittit consilium gaudens de sua libertate, ut officio suo satisfaciat, recte agit, sed non, ut nihil agat.

### A. III.

Q. Quid est proemium? R. Bonum cum actione conexum, tanquam motivum ad eam committendam, vel omittendam.

Q. Quid est poena? R. Malum quod actioni ad eam commitendam, vel omittendam tamquam motivum à legislatore adiungitur.

Q. In quo differt proemium à mercede? R. In eo, quod proemium nullam obligationem importat in conferente, merces vero importat.

Q. Quid est poena naturalis? R. Malum cum actione necessario connexum.

Q. Quid est poena positiva? R. Malum conexum cum actione ex legislatoris voluntate: similiter & proemium.

- Q.** Post corporis mortem manent bonos præmia, malos autem poenæ? **R.** Utique, & 1º anima nostra libera est & rationalis, ratione noscit actiones ad Deum debere dirigere, ergo non moritur instar belluarum sine præmiis pro recto usu, vel sine poenis pro facultatum abusu: aliunde Deus hominibus præscripsit leges, sed plerumque in hac vita non præmiat bonis naturalibus observantes illas, nec castigat transgressores; ergo manent post hanc vitam præmia, vel poenæ; nullus enim legislator non urget ad observantiam præmiis & poenis: ergo nec Deus: nisi dicamus nullum constituisse ordinem in rebus. 2. Ex justitia divina: injustus est qui affligit bonos, malos autem sinit prosperare: jam vero si nullæ essent poenæ & præmia in altera vita, Deus affligeret bonos, faceret malos prosperare, cum hoc plerumque in mundo contingere videatur: ergo: sed Deus injustus non est, ergo si affligit bonos in hac vita, malos sinit prosperare, superest aliis altera vita præmii, aliis vero supplicii.
- Q.** Ergo Deus erit debitor creaturæ. **R.** Neutiquam, sed sibi.
- Q.** Repugnat, poenas in altera vita esse æternas, quia non sunt aequalia peccata, quæ brevi finiuntur: repugnat esse temporales, esset enim spes aliqua: ergo. **R.** Re-

pugnat sane esse temporales ex natura ani-  
mæ, sed non esse æternas; nam peccatum  
est infinitum ratione objecti, & meretur  
poenam infinitam.

### CAPUT. III.

#### *De hominis beatitudine.*

- Q. Quid est beatitudo formalis? R. Est boni  
quædam species, quæ perficit statum no-  
strum, estque intra nos.
- Q. Objectiva? R. Bonum extra nos positum,  
quod nos beatos potest efficere.
- Q. Quid est virtus? R. Habitus actiones le-  
gi conformiter dirigendi; si est habitus  
conformandi actiones legi ob motiva re-  
velata, dicitur Christiana, si ob intrinse-  
cam earum bonitatem, philosophica: di-  
citur *habitus*, quia non sufficit unus aut  
alter actus, sed requiritur quædam faci-  
litas.
- Q. Quid est vitium? R. Habitus actiones le-  
gi contrarias committendi, vel omittendi  
legi consentaneas.
- Q. Quomodo definitur aliter virtus? R. Per-  
petua ac constans voluntas sui, aliorumque  
perfectionem, & divinæ gloriæ manifesta-  
tionem promovendi.
- Q. Quid est timor filialis? R. Quo timetur  
offensa Dei.

**Q.** Servilis? Quo quis timet puniri à Deo.  
**Duo** sunt distinguenda in timore servili, intrinsecum & extrinsecum, intrinsecum nempe fuga pœnæ, quæ bona est, & accidentale, quo peccator se abstinet ab his, quæ male concupiscit, & est malum; includit enim voluntatem peccandi.

**Q.** Quid est spes mercenaria? **R.** Quæ in bonis naturalibus conquiescit; si spectetur beatitudo, theologica dicitur.

**Q.** In quo consistit beatitudo formalis? **R.** Fuerunt hac de re plures sententiae; alii in honoribus, alii in divitiis collocarunt; alii in tranquillitate & pace, nimirum in minori infelicitate, sed absque Deo hæc haberi non potest; alii in voluptatibus; *sed nos dicimus, consistere in exercitio virtutis*; etenim in illo consistit beatitudo quod hominis appetitum satiare potest, quantum potest in hac vita; sed sola virtus, non cetera bona possunt satiare &c.: ergo. Min. ostenditur, quid enim de anxietatibus Tiberii, Caligulæ, Neronis, aliorumque, qui inter fortunatos viros primum locum tenent, referunt historiæ? E contrario de pace virorum afflictorum, sed virtute præditorum? ergo.

**Q.** Homo virtute prædictus non est semper felix? **R.** Felicitate externa, sed est felix interna & vera: hic homines ferruntur in hæc bona naturalia, quia ibi

- credunt inventuros felicitatem, sed pax,  
pax, & non erat pax.
- Q. Plurimi Philosophi constituebant felicitatem in virtute, & non erant felices. R. Quia non erant prædicti vera virtute.
- Q. In omni actione bona invenitur *rectum*, seu quod in essentia hominis habet rationem; *honestum*, seu quod obligationi, ac juri naturali est consentaneum; *utile*, seu quod usui nostro inservire potest; & *jucundum*, seu quod nos delectat? R. Utique.
- Q. In quo consistit beatitudo objectiva? R. In solo Deo; beatitudo enim est status, qui melior excogitari non potest, quique sit constans, & stabilis; sed &c.: ergo. *Inquietum est cor nostrum, donec perveniat ad te, qui creasti me.* S. Aug.
- Q. Deum non possumus possidere, nulla est enim proportio inter finitum, & infinitum. R. Non est proportio entitatis, sed est habitudinis, seu adhæsionis, quod idem est ac possessio.
- Q. Ergo mens humana potest intuieri essentiam divinam, & comprehendere. R. Potest cognoscere cognitione imperfecta, non vero perfecta & comprehensionis.
- Q. Objectum infinitum non potest attingi nisi per cognitionem infinitam. R. Nego: mens finita potest versari circa infinitum, sed finito modo.

Q. Menti finitæ sufficit bonum finitum; ergo.

R. Mens est finita intrinsecè, sed est infinita extrinsecè, ideoque exigit bonum infinitum saltem objectivè.

A. II.

Q. Quid est conscientia? R. Judicium de actionum moralitate, utrum bonæ sint, an malæ, utrum committendæ, an omittendæ.

Q. Quid est judicium theoreticum? R. Quo actiones bonas vel malas esse affirmatur.

Q. Practicum? R. Quo affirmatur esse committendas, vel omittendas.

Q. Quid est conscientia recta? R. Judicium verum: erronea vero, falsum.

Q. Certa? R. Judicium, quo de veritate sumus convicti.

Q. Probabilis? R. Judicium tantum probabile.

Q. Dubia? R. Illa, qua dubitamus, utrum judicium sit verum, an falsum.

Q. Scrupulosa? R. Judicium, quo quis revertetur levibus motivis, actionem esse malam.

Q. Est idem conscientia dubia, ac vera? R. Neutiquam.

Q. Quid est conscientia antecedens? R. Quæ dictat actionem esse bonam, vel malam antequam agatur.

Q. Consequens? R. Quæ dictat post factum.

Q. Sine lege potest esse conscientia? R. Non;

nam illam tantum habemus, quatenus judicamus actionem esse bonam, vel malam, quod non nisi per legem judicatur.

Q. Qui agit cum conscientia erronea peccat?

R. Peccat, quia agit cum animo peccandi.

Q. Ergo erit morum regula conscientia erronea. R. Si conscientia est vincibilis, homo peccat, sive agat secundum illam, si ve contra; quae necessitas peccandi est tantum hypothetica, potest ejicere errorem: si vero invincibilis, non peccat quis.

Q. Qui agit cum conscientia dubia peccat?

R. Peccat, quia sese exponit periculo peccandi.

Q. Quod probabilius est, est verum? R. Non est semper verum.

Q. Quid debet agere agens cum conscientia probabili? R. 1º Inquirere, an habeat intelligentiam de re ad ferendum judicium, & si caret, non sine periculo operatur. 2º an sufficientem curam adhibuerit: 3º explorare ante actionem, & post, saepe enim nos fallit amor proprius: 4º cum conscientia dubia semper agendum quidquid remotius est à periculo, sive quod tutius est: 5º in quolibet casu semper licet sequi opinionem probabilem, quae favet præcepto, relicta probabiliori, quae favet libertati.

Q. His positis, quid secundum credis circa probabilitatem? R. 1º Non licet sequi conscientiam probabilem, quae favet liber-

tati in concursu æquè probabilis, quæ favet præcepto: 2º non licet sequi opinionem minus probabilem, quæ favet libertati in concursu probabilius, quæ favet illegi: 3º licet sequi opinionem probabilius rem, quæ favet libertati. Prob. 1º pars: Qui sequitur opinionem æquè probabilem, agit cum constientia dubia, sed tunc debet sequi tutiorem partem; id est, quæ favet præcepto. Prob. 2º A fortiori, si non licet sequi æquè probabilem pro libertate, nec licebit sequi minus probabilem pro libertate. Prob. 3º Licet sequi opinionem, quæ est rationi conformis, & naturæ nostræ conveniens, jam autem probabilius, quæ favet libertati est hujusmodi; innititur enim motivis gravioribus, ac proinde motiva opposita apparent levissima, & contemnenda, & errandi formido aut nulla tunc erit, aut parva.

Q. Quæ favet libertati rationi consentanea est; innititur enim gravissimi rationibus. R. Desiniendum est, quid per gravissimas rationes intelligatur, & tunc judicabitur secundum jam prius dicta.

Q. Satis est in praxi opinio, quæ virorum doctorum auctoritate innititur; ad quem confugiet plebejus nisi ad pastorem? R. Nein dicet aliquem esse sapientem medicum, qui omissis tutiорibus remediis, minus probabilia proponet: itaque plebe-

ius, qui pastoris sententiam sequitur in his, quæ invincibiliter ignorat, excusatur. non vero si vincibiliter ignorat.

Q. Perpetuis anxietatibus cruciaret homines probabilior, utrum recte judicaverint, & semper probabiliorem sequi teneremur. R. Solum sequenda est tutior, quando utraque non sit tuta, ut in concursu æquè probabilium.

Q. Potest esse opinio tutior & falsa? R. Utique.

Q. In obscuris minimum est sequendum, odia sunt restringenda, favores ampliandi. R. Hæc tenent in dubiis facti, non in dubiis juris, quale est dubitare de lege: etiam in dubio de admissione criminis, vel culpæ, pars tutior est magis benigna: in dubiis juris, seu de licito, & illico, qui sequitur benignitatem, sese exponit periculo peccandi.

## PARS II.

### CAPUT. I.

#### *De officiis hominis erga Deum.*

##### A. I.

Q. **D**ebetur Deo cultus internus? R. Utique; creavit enim nos, ex quo nascitur amor; qui amat alterum, nihil agit, quod

ni ei displiceat; hinc *timor filialis*, atque *obedientia*: qui noscit ejus infinitam bonitatem, non vult, nisi quod ipse vult, hinc *fiducia*, quæ si tendat ad excellentiorem vitam spectando illam, est *spes*; sed his perficitur cultus internus: ergo.

Q. Debetur etiam cultus externus? R. Utique, quia enim creavit animam ejusque dotes ad suam gloriam, debet ei cultum internum, sed etiam corpus à Deo accepimus ejusque facultates: ergo corpus ad ejus gloriam tendere debet; sed non potest aliter, quam cultu externo, sive invocatio &c. 2. Gratias Deo agere debemus ob accepta beneficia, & alios saltem exemplo perducere, sic enim significando animum gratum magis, ac magis promovetur gloria Dei. 3. Curandum nobis est, ut piezas nostra augeatur & confirmetur in ipsa, ad hanc ergo confirmandam juvant summopere signa exteriora seu ritus, & præcipue ab Ecclesia instituti, sed his absolutur cultus externus: ergo.

Q. Cultus externus repugnat scientiæ & bonitati Dei; non enim est opus oratione, sed quæ necessaria esse novit, ultra largitur. R. Supremum Dei dominium exigit, ut totus homo colat Deum, si homo non oraret immemor beneficiorum, tribueret causis secundis, quæ solius Dei sunt, ideoque constituit conferre bona

mediantibus his actionibus, quod decretum non est absolutum, sed hypotheticum, ideoque non mutatur Deus.

Q. Deus non delectatur adulatione; sed cultus externus est adulatio: ergo. R. Cultus externus non est adulatio, sed grati animi significatio, & dominii protestatio.

Q. Multi sine precibus impetrant, quæ desiderant; è contrario alii cum precibus. R. Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis: Deus etiam aliqua bona largitur sine precibus, quia remunerat bona eorum in hac vita, alios vero non exaudit, quia novit melius, quibus indigentis, & consulens bono, nostro negat.

Q. Christus ait: *Deum adorandum esse in spiritu & veritate*: ergo. R. Sed non ait tantum in spiritu & veritate, sed significat cultum externum internum comitem habere debere.

Q. Ad pietatem non valent ritus, qui dissensiones mouere possunt, & oriuntur à gentilium superstitione: aliunde ritus nihil ex se significant, sed ex hominum arbitrio: ergo. im. R. Certe si sola religio naturalis spectatur, unicuique pro suo arbitrio ritus instituere licet; sed ex corrupta, & nefanda rituum varietate demonstravimus necessitatem revelationis, ex ipsa societatis pernicies, nisi suprema sit in his definiendis auctoritas; hæc est Ec-

clesia in ritibus Christianis: rituum originem demonstrant libri sacri non fuisse à gentibus: si qui communes sunt, nihil officit, cum eorum sanctitas ex fine, & approbatione Ecclesiae desumenda sit.

## A. II.

- Q. Quot sunt officia hominis erga se ipsum? R. Tria, alia quae pertinent ad mentem, alia ad corpus; & alia ad statum externum.
- Q. Officia hominis erga animam quae sunt? R. Perficere intellectum, & voluntatem.
- Q. Quomodo perficitur intellectus? R. 1. cognitione veri: 2. vacando præcipue his studiis, quæ in boni, malique cognitione versantur, atque vitæ instituto sunt magis consentanea.
- Q. Et voluntas quomodo perficitur? R. 1. Curando ut appetitus sensitivus cum rationali consentiat: 2. compescendo affectus, id est, ne in actus externos legi contrarios erumpant: 3. regendo eos, id est, dirigendo ad actiones legi conformes: 4. sedando, id est, dando operam, ut extinguantur.
- Q. Quæ sunt officia erga corpus? R. 1. Conservare se debito modo: ergo sanitas tunda, vitandus nimius labor, à cibo & potu insalubri, & nimia quantitate abstinentium: 2. comparare necessaria labore.

Q. Potest homo occidere se ipsum? R. Neutquam, quia ipse non est dominus vitæ, sed Deus, qui sic concessit, ut homo conservet illam: sancti, qui sic fecerunt, ex instinctu Dei fecere.

Q. Ergo non erit licita corporis afflictio?

R. Licitā est, & quidem quando dixi; nos tēneri conservare nos, id intellexi, nullūm damnum inferendum nobis esse, non vero non affigendum nos; tenemur enim sedare affectus, crimina expiare, de futuris præcavere, quod fit afflictione: ergo non solum est licita, sed aliquando necessaria: at vero si grave sequatur detrimentum, non est dubium, quin respectu illius non sit licita.

Q. Licet interficere injustum aggressorem vitæ. R. Utique dummodo nulla supersit via ad nostram conservandam; tunc enim non intenditur occisio, sed nostræ vitæ conservatio.

Q. Et ob bona temporalia? R. Neutquam, sunt enim minus bona, quam alterius vita.

Q. Quænam sunt officia erga se quantum ad statum exterum? R. Electio illius vitæ generis, ad quod utiliores sumus: sed hæc utilitas non est pensanda ex proprio, sed præcipue ex communi bono.

Q. Debemus conservare famam? R. Omnia si perdas; famam servare memento.

Q. Quomodo repellitur calumnia? R. Faetis,

si videant ceteri in nobis facta contraria,  
& verbis, si calumniæ falsitas opponatur.

**Q.** Licet calumnias calumniis retorquere? **R.** Neutquam, non enim fama vindicaretur, sed amitteretur.

**Q.** Quid est duellum? **R.** Singulare certamen ad ulciscendas injurias.

**Q.** Est licitum? **R.** Neutquam vanissimus est enim honos, qui in legis naturalis violatione consistit, qualis est honos duelli.

### A. III.

**Q.** Quot sunt officia erga alios? **R.** Tria, quantum ad mentem, ad corpus, & statum externum.

**Q.** Quid est amor proximi? **R.** Constans, & perpetua voluntas benefaciendi aliis.

**Q.** Licet odisse proximum? **R.** Neutquam, nec erga alios indifferenti debemus esse animo.

**Q.** Si suo erga nos officio desint? **R.** Non ideo sumus liberi: quare & inimicos diligere tenemur.

**Q.** Amor hic, quo inimicos diligere tenemur, est idem ac amicitia particularis, seu familiaris consuetudo? **R.** Neutquam, licet sit idem ac amicitia universalis, quam modo definivimus.

**Q.** Quid ergo est amicitia particularis? **R.** Animorum honestate, moribusque similium

mutua cum charitate arcta conjunctio; hæc amicitia dicitur complacentiæ, altera vero benevolentiæ.

- Q. Alia ergo erunt officia unius, & alterius amicitiæ? R. Utique, sic per amorem universalem tenemur velle bonum inimicis, opem ferre &c., non vero beneficiis, muneribusque cumulare, grati animi officiis eum prosequi, familiaritatem exoptare, quæ sunt officia amicitiæ particularis.
- Q. Per amicitiam universalem debemus esse seduli in propagandis virtutibus intellectualibus, & moralibus? R. Utique, atque nostram industriam minime desiderari patiamur, & secundum præcipue exemplo, cuius est maxima vis.
- Q. Ergo peccant, qui seducunt alios. R. Non solum peccant, sed & à vitiis revocare debent, si id facere liceat.
- Q. Licet laedere alios? R. Neutquam, quod enim tibi non vis, alteri ne feceris.
- Q. Ergo peccabunt medici, qui propinanit medicamenta, quorum vires ignorant. R. Utique.
- Q. Quid est furtum? R. Surreptio rei alienæ invito domino.
- Q. Licet furari? R. Neutquam, est peccatum, & gravius pro qualitate, quantitate, atque domini paupertate.
- Q. Licet labefactare alterius famam? R. Neu-

tiquam, ideo aliorum imperfectiones & vi-  
tia propalare non licet, multo minus ca-  
lumniari; quod enim tibi non vis, alteri  
non feceris; excipe tamen, celari debere ea  
crimina, quæ puniri, reipublicæ valde  
interest.

Q. Quot sunt genera officiorum? R. Duo, pér-  
fecta & imperfecta.

Q. Quid sunt officia perfecta? R. Ea, ad quæ  
homo necessario obligatur, sive ex justitia  
v. g. neminem lädere: unicuique, quod  
suum est, tribuere &c.

Q. Et imperfecta? R. ad quæ homo sine  
coactione, ex sola virtute obligatur v. g.  
eleemosyna &c.

## CAPUT. II.

### *De jure naturæ Politico.*

A. I.

Q. Quid est societas? R. Hominum cœtus  
ad promovendum bonum commune.

Q. Quid est societas simplex? R. Quæ ex  
singularibus paucisque hominib[us] coalescit  
v. g. societas herilis, nuptialis &c.

Q. Et composita? Quæ ex alijs societatibus  
componitur.

Q. Quid est respublica? R. Magna homi-  
num multitudo in societatem coalescens

ad bonum communem conjunctis viribus promovendum.

Q. Quid est monarchia, sive regnum? R. Respublica, in qua potestas est penes unum.

Q. Aristocracia? R. Respublica, in qua potestas est penes optimates.

Q. Democratio? R. Respublica, in qua potestas est penes populum.

Q. Quid est ius primitivum? R. Quod eamdem ac homo habet antiquitatem, & est immutabile, ut officia filiorum erga patres, civium erga patriam.

Q. Secundarium? R. Quod temporum successu & pro circumstantiarum necessitate est introductum, ut mutua civium officia.

Q. Jus politicum fundatur in jure naturali, & ex eo originem habet? R. Utique, ratione enim jubente, tenentur homines suæ securitati, tranquillitati, & felicitati prosperare: sed absque societate civili haec propici non possunt; non enim potest quis sine hac suo jure frui tranquille, & adversus aliorum vim se defendere: ergo ratio, & natura dictant societatem civilem; sed societas civilis, sine imperio, quo regantur populi actiones, stare non potest: & quidem si libertate naturali quilibet esset arbiter in natura corrupta, tanta libertas confussionem, & perturbationem gigneret, quod ut experirentur Persæ & ut

magis in fidelitate Regis futuri confirmarentur, consuetudo obtinuit, ut per quinque dies, defuncto Rege, in anarchia viverent, & nemo erat, qui in tanta devastatione, & scelerum licentia principis necessitatem non sentiret: ergo imperium, seu jus politicum &c.

**Q.** Principis auctoritas destruit libertatem.

**R.** Non destruit; confunditur à multis subiectio tanquam laedens libertatem: natura hominis exigit libertatem, sed exigit etiam subjectionem, hacque subiectio libertas civilis, est ipsa libertas naturae spoliata eo jure, quo homines abuti possent.

**Q.** Societas civilis ex usurpatione potius habuit originem; sed hoc repugnat hominis naturae: ergo. **R.** Loquimur hic de jure, non de facto; itaque semper viguit societas civilis, parentes à primis incunabulis erant jure naturali principes, atque subjecti filii, illorumque auctoritatem semper agnoscebant absque discriminè aetatis, in tanta senectute facile potuerunt relinquere filios haeredes, qui familiam gubernarent, & concessso fratribus jure regerentur; crescente familia nulla est dubitatio, quin pro sua libertate unum elegerint homines ad tuendam pacem: ergo vel ex paterno jure orta est societas natura duce, vel ex hominum voluntate, sed prospicientes suæ utilitati natura

duce, vel jure belli.

Q. Homo natus est ad bellum, ut probant affectuum tumultus. Et quidem homines in bona omnia æquale jus habent, occupet ergo quisque quantum possit, & ea conservet; hinc mutuum bellum. R. Qui suæ conscientiae testimonio attendit, non potest non cognoscere, hominis naturæ repugnare bellum, nisi justa sit causa ad tuendam rempublicam &c. in statu felici in nullius dominio erant res positæ; sed perseverabant in communione negativa: at vero post peccatum, cum cresceret hominum multitudo, impulit necessitas, ut in res ipsas, quæ ad familiæ conservationem, vitamque traducendam spectant, dominium aliquod induceretur: en dominium originarium, & eadem necessitate introductum, quod derivativum appellant, in alios scilicet jure adquisito, vel adventitio translatum; non est talis homo, ut in communione negativa vivere possit.

Q. Si homini est naturalis societas, jam ergo peccant religiosi illi, qui vitam austerae degunt in eremo. R. Hi sunt etiam in societate & juvant orationibus, principibus obediunt, & subveniunt in necessitatibus: oportet ergo esse in societe, qui implorent divinam misericordiam, multis enim modis confertur ad bonum commune.

A. II.

- Q. Quomodo respublica promovere poterit  
virtutes intellectuales? R. Erigendo scholas,  
& academias.
- Q. Quis docentium numero est adscribendus?  
R. Non alter, quam qui in scientia &  
arte, quam proficitur, excellat, docendi fa-  
cilitate polleat, & ab omni absit negligen-  
tia, & sit probus.
- Q. Quomodo his dotibus prædicti invenientur?  
R. Si stipendia satis liberaliter, & præ-  
mia assignentur, si ab honoribus, & di-  
gnitatibus non arceantur, alioquin munus  
docendi ipsos fastidet.
- Q. Quid debet optare magister à discipulis?  
R. Ut amorem sibi conciliet; vitanda est  
nimia severitas, & evanya suorum nimia  
libertas.
- Q. Quid amplius debet respublica curare?  
R. Ne numerus litteratorum sit reipublicæ  
onus, debet fieri ingeniorum delectus, alios  
areere convenient, excellentioribus, si defue-  
rint sumptus, ferenda opes.
- Q. Quid debet curare circa virtutes mora-  
les? R. Ut liberi rite educentur; in vir-  
tutis exercitio, yitiorumque fuga insti-  
tuantur; pro adultis sint optimi pasto-  
res; sint poenæ pro transgressoribus le-  
gum; justitia servetur: sed quoniam de-  
trimentum in moribus pariunt spectacula,

corrigenda sunt, ne pro corrigendis moribus venenum instillent.

Q. Cui competit auctoritas spiritualis? R. Ecclesiæ; principibus tamen religiosis competit, ut fidei morumque sanctitas vigeat, ideoque poenit coercere possunt transgressores.

Q. Debet in republica tolerari atheismus? Impiissima est, atque etiam societati civili perniciosissima falsæ cujuscunque sectæ, & præcipue atheismi tolerantia; & quidem tenetur respublika sola Religione naturali cogere poenis subditos, ut officia erga Deum, erga se, & erga alios præstent; si autem id exigit Religio naturalis, quanto magis revelata, cuius necessitatem demonstravimus? jam vero qui falsam Religionem profitentur, officio Dei, ac proinde omni vero desunt officio; ergo: & certe quando divisa est respublica sectarum varietate, turbatam esse oportere, non est, qui dubitet, si noverit odium, quod excitare solet fanaticum falsæ Religionis studium, & evolverit tristissimos nonnullorum imperiorum annales, intestina bella, & aliquando eversiones solli: attramen nihil societati beatius, si conjuncta est cum mutuis officiis, quæ vera prescribit: 2<sup>a</sup> vero pars: cum Deus sit moralium actionum fundamentum, sublatu Deo; mutua officia auferri necessum est;

sed athei negant Deum: ergo.

**Q.** Dices: Deus ad fidem vocat gratuito, nec est in nostra potestate, ideoque princeps cogere non potest. **R.** Potest princeps prohibere id, quod in nostra potestate non est, si id vergat in detrimentum reipublicæ: sic furiosis non est potestas relinquendi furiam, & tamen recluduntur: ergo, etsi non liceat cogere ad fidem, pertinet reprimere audaciam, ut alios non pervertant, hoc est circa actus externos.

**Q.** Ins: Hanc auctoritatem non exercuerunt viri religiosi, immo & Ecclesiæ auctoritas non est erga infideles, & judæos: ergo nulla vi cogi possunt, & præcipue cum civilis ad res supernas non pertineat. **R.** Ecclesia potest directe cogere hæreticos, qui sunt subditi, licet hoc pariter principi, sicut etiam directe vetare idolatriæ cultum, sed etiam indirecte potest cogere infideles, vel multis, vel segregando a fidelis consortio &c.

**Q.** Atrocissima bella, quæ Religionis prætextu exarxere, opposita sunt Ecclesiæ mansuetudini, sicut etiam quælibet poena afflictiva. **R.** Christiana charitas jubet, ut æternæ hominum saluti invigilemus, hor-tamentis, blandisque mediis; at si secta quælibet pervertere alios possit, & tranquillitatem reipublicæ turbare, jam in eos sævire licet; si enim id non liceret pote-

stati civili christianæ, nec cetera crimina  
poenis gravioribus castigare licet: ergo  
id mansuetudini aliquando consentaneum  
est.

**Q.** Ex his sequeretur societatum ruina, ete-  
nim sicut Religio catholica tota esset in  
extirpandis ceteris Religionibus, ita pa-  
riter quilibet princeps alterius sectæ to-  
tus esset in extirpanda christiana, cum  
quisque suam esse veram sibi persuadeat:  
hinc mutua bella, et impedimentum ad  
propagandam christianam. **R.** Poenæ spi-  
rituales, quæ Ecclesiæ competit, nullo  
modo possunt turbare tranquillitatem so-  
cietatis: non dicimus auctoritatem civilem  
sub quolibet Religionis prætextu exer-  
ceri licere; sed solum quando turban-  
da esse videtur pax: bella aliqua possunt  
esse justa, sed quando, non est nostrum  
de his judicium ferre, tantum dico, id  
fieri non posse sine examine maturo.

### A. III.

**Q.** Quid est curandum in republica? **R.**  
Ne deficiant necessaria vitæ, ergo ut  
floreat agrorum, sylvarumque cultura, ut  
artefacta florent, non solum ob neces-  
sitatem, sed et propter rationes politi-  
cas; ut constituantur annonæ, et pretia  
quantum licet taxentur, id est, ne absque

~~Si~~ taxa foveatur avaritia; ne cum illa commercium reipublicæ anima languescat.

Q. Debent esse ergastula? R. Utique tantæque sunt utilitatis, ut vix miser ullus infirmatius ejus consulendo, otio diffueret, si in unaquaque provincia pauperes recludentur, atque via intercluderetur, ut sub necessitatibus pretextu non laborem, sed otiosam vitam quererent plurimi, et vietiis debitam: pariter ergo esse debent xenodochia, vel nosocomia.

Q. Luxus est utilis societati? R. Ex luxus diversa definitione oritur duplex, et contraria decisio: si per luxum intelligatur moderata profusio secundum uniuscujusque statum, vel aliqua inter status differentia, non est dubium, quin sit utilis, immo necessarius societati; postulat enim societas, ut diversi sint gradus; debet ergo esse inter illos distinctio; aliunde sumptuum liberalitas intra justos limites deservit ad perficiendas artes, ad augendas artificum fortunas, ad commercium amplificandum. Si vero per luxum intelligatur abusus, prodiga, et superflua pecuniarum effusio, quam excitat superbia, et ostentatio, non est dubium, quin sit societati pernitiosissimus, imprimis est vitium, aliunde pestem hanc ad occasum usque perduxisse romanum imperium, non est qui ignoret; luxu enim ad mollitiem

- labiuntur mores, sola placet voluptas, nullus amor patriæ, nulla legum observantia.

Q. Quonodo possunt augeri opes subditoruim? R. Si caveatur, ne pecunia in exteriores deferatur nationes; abstinendum ergo, à mercibus peregrinis, sed hic cautio est opus: si fodinæ utiles non negligantur, si florent artes, & scientiæ: si urbes sint sic constructæ & exornatæ, ut vel 1. occasione discendi, vel 2. explendi curiositatem excident juvenes nobiles, & exteriores, ad iter faciendum: si ludi immoderati prohibeantur.

Q. Cœlibatus est utilis societati? R. Si numerus cœlibum non sit nimius, utilis est; & quidem interest reipublicæ, & Religioni esse viros ab omnibus curis alienos, ut instituendæ juventutis onus subire possint, quod à parentibus aliis distractis curis fieri non potest. Religioni: animæ puritas singularis, decet sanctitatem mysteriorum; aliunde oportet, ut aliorum saluti invigilent assidue ministri, officiis suis diligenter incumbant, quod sane præstare facile non possent non cœlibes: dixi non sit nimius, quia curandum est etiam, ne minor sit civium numerus, quam qui ad reipublicæ necessitatem, salutem, & defensionem satis sit.

Q. Cœlibatu minuitur numerus civium, præterea Deus imposuit præceptum de nu-

bendo: *crescite*, &c. ergo. R. Nihil interest aliquantulum minui numerum civium, si inde sint boni cives, ut consequi potest recta educatione per cœlibes: præceptum illud *crescite* non singulis hominibus in individuo est impositum, sed generi humano, immo tanquam perfectiorum statum commendat virginitatem Christus in Evang.

Q. Saltem à sapientioribus legislatoribus est prohibitus; ad testimonia publica non admittebantur cœlibes apud Romanos: ergo. R. Exempla exemplis opponantur: apud Ægyptios Isidis sacerdotes, & alii ministri castitatem profitebantur, brachmanes pariter, & gymnosophistæ &c.; & apud ipsos Romanos erant virgines Vestales, quarum supplicium horrendum pro castitatis violatione notum est, ut nimirum vivæ sepelirentur: ergo abusum prohibebant.

Q. Quid est polygania? R. Uxorium pluralitas simultanea.

Q. Est licita? R. Minime: & quidem finis matrimonii est sobolis procreatio, & bona educatio, quæ vix obtineri possunt; vix enim fieri potest, ut idem sit viri in singulas amor; hinc jurgia, rixæ, invidiæ, quæ gubernationem turhant.

Q. Si illicita est, cur illam perniciuit Deus? R. Ad multiplicandum populum Dei; sed

an pariter suppeditavit auxilia, quibus pax ser-  
varetur, ac proinde abstulit circumstantias,  
quæ eam reddunt illicitam jure naturali.

Q. Quæ virtutes sunt necessariae inter con-  
juges? R. Fides, castitas, mansuetudo,  
prudentia, æconomia, sed præsertim pie-  
tas, & religio: ut uxor viro subjiciatur, est  
enim hic caput mulieris, sed hæc non est  
serva.

Q. Quænam cura debet esse parentum erga  
liberos? R. Ut hi doceantur omnia of-  
ficia erga Deum, &c. debent illos ama-  
re, & prospicere de conservandis opib-  
us ipsis necessariis, & ut siant membra  
sibi, & reipublicæ utilia.

Q. Et filii quid agere debent? R. Debent es-  
se subditi patriæ potestati ad tempus usque  
legibus præfinitum, et animo grato es-  
se in illos in omni ætate, atque semper  
agnoscere, se esse illorum debitores; in  
necessitatibus subvenire.

Q. Quis vocatur tutor? R. Ille, cui commi-  
titur cura pupilli.

Q. Quodnam ius competit tutori in bona pu-  
pilli? Nullum præter administrationem,  
& facultatem in educationem impendendi  
fructus necessarios: excipe necessitatem: pu-  
pilli tenentur illum amare, loco enim  
patris est, ejusque vices gerit.

Q. Debet esse inter familiam concordia? R.  
Utique fratres amare se debent, mutuam

sibi præstare auxilium; minores majoribus honorem deferre.

## A. IV.

Q. Quid est commercium? R. Rerum superfluarum cum necessariis, vel utilibus permutatio.

Q. Quibus exercetur commercium? R. Vel rebus naturæ, vel solius industriae, vel naturæ, & industriae simul.

Q. Quot sunt partes commercii? R. Septem: agricultura, manufacta, artes liberales, piscandi industria, navigatio, cambium, & coloniae, quarum notiones ex ipsis non minibus patent.

Q. Quando nam cepit commercium? R. Initio mundi, Cain enim fuit agricola, Abel pastor ovium, Tubalcain maleator, & diversæ artes permutationes supponunt, seu commercium, in quarum locum substituta sunt metalla.

Q. Qualis fuit secunda ephoça? Inventio pecuniae, cuius nomen accepit à pecudibus, quibus fieri solebant contractus, præcipua et prima inter regiones, Asia fuit commercii sedes.

Q. Et 3<sup>a</sup> ephoça commercii quando cœpit? R. A tempore Alexandri Magni, ædifica-ta Alexandria Indiarum, & Occidentis ve-lut commercii centrum.

Q. Quot fuere causæ commercii? R. Tres 1<sup>a</sup> necessitas, atque utilitas: 2<sup>a</sup> dominiorum institutio: 3<sup>a</sup> luxus, atque cupiditas.

Q. Commercii exterioris quænam sunt principia? R. Inter plurima 1<sup>a</sup> rerum superfluarum exportatio certum lucrum, præcipue si industria perficiantur: 2<sup>a</sup> materiæ primæ exportatio plerumque noxia, præcipue si exportetur, & elaborata advehatur; advectio vero, ut à domesticis industria perficiatur, maxime utilis esse potest: 3<sup>a</sup> res exteræ, quæ domesticarum consumptionem impediunt, et artes retardant, aut luxum fovent, nationis ruina: 4<sup>a</sup> quod natura negat, industria suppleat.

Q. Quid est contractus? R. Pactum duorum, aut plurimum consensus in idem placitum, obligationis constituendæ, aut tollendæ causa.

Q. Quomodo distinguuntur contractus? R. Re, verbis, litteris, & solo consensu. Re traditione, verbis sermone, litteris in scripto; litteræ vero ad contractus essentiam non pertinent, sed solum sunt testimonium obligationis, quæ solo ex consensu nascitur.

Q. Quot sunt spectanda in contractuum obligatione? R. Tria, intellectus, voluntas, & materia.

Q. Quid est intellectus? R. Cognitio materiæ contractus, ne cui fraus, & da-

mnum inferatur, ideo *minoris* contractus rarius obligant ob immaturitatem judicii, sed in his tempus ad contrahendum taxatur à lege: ad defectum intellectus etiam pertinet error circa rem contractam, vel qualitates æstimabiles, quæ licet legibus civilibus irritandum tantum reddant contractum, naturæ jure nullus est.

**Q.** Voluntas? **R.** Consensus in contractum, quo deficiente, nullus est; talis potest esse absolutus, et conditionatus.

**Q.** Metus reddit nullum contractum? **R.** Si sit metus gravis ad extorquendum injuste consensum, irritus est: si est levis, aut non est ad extorquendum injuste consensum valet.

**Q.** Materia? **R.** Quod contractus fiat de re licita, sui juris, et nulla lege prohibita.

**Q.** Quid est venditio? **R.** Permutatio rei pro pecunia, pecuniæ vero pro re dicitur emptio.

**Q.** Quid est contractus onerosus? **R.** Qui onus imponit in utroque contrahentium: v. g. emptio.

**Q.** Et non onerosus? **R.** Qui in uno tantum contrahentium imponit onus: v. g. depositum, mandatum, commodatum, mutuum.

**Q.** Quid est mandatum? **R.** Contractus, quo quis rei suæ usum gratis alteri concedit.

- Q. In quo distinguitur commodatum à mutuo? R. In eo, quod in commodato redditur eadem res; v. g. idem equus; in mutuo res fungibles redduntur non in specie, sed in genere; v. g. aliud triticum.
- Q. Quid sunt res fungibles? R. Quæ numerari, metiri, vel ponderari possunt, & usu consumuntur.
- Q. Quid est depositum? R. Contractus, quo quis rem alienam à domino commissam gratis custodiendam suscepit.
- Q. In contractibus beneficis, ad quam culpam tenetur, qui onus suscepit? R. Ad latam, seu negligentiam crassiorem.
- Q. Quid est jus-jurandum? R. Actus religiosus, quo ad rem dubiam confirmandam Deus testis et vindicta invocatur, quod ut recte fiat debet habere comitem veritatem, judicium seu necessitatem, & justitiam, id est, ut sit de re licita, & honesta.
- Q. Quid est juramentum promissorium? R. In quo aliquid promittitur; si autem affirmatur aut negatur, dicitur assertorium.
- Q. Assertorium dividitur in aliud? R. Utique in voluntarium, si extra judicium sponte fiat: necessarium, in quo alterutrum litigantium coram judice provocatur, & dicitur judiciale; & purgatorium, quod exigitur ad repellendam imperfectam probationem criminis.

- Q. Quid est votum? R. Prómissio religiosa facta Deo, qua ad bonum melius et possibile nos adstringimus; melius non absolute, sed suo opposito.
- Q. Quid est usura? R. Mutuum, in quo exigitur aliquid supra sortem ex *vi mutui*.
- Q. Requiritur, ut id, quod exigitur, sit pecunia? R. Minime, sufficit, ut sit pretio aestimabile.
- Q. Quare dicis *vi mutui*? R. Quia si exigitur ob lucrum cessans vel damnum emergens, non est usura.
- Q. Quid est lucrum cessans? R. Lucrum, quod ex pecunia mutuata cessat ei, qui mutuat, id est quod poterat probabiliter evenire, si non mutuavisset.
- Q. Quid est damnum emergens? R. Illud, quod sequitur mutuanti ob mutuum; sed tam damni emergentis, quam lucri cessantis debet esse certa causa.
- Q. Sufficit, ut lucrum sit possibile? R. Neutquam, debet esse probabile, et pro gradu probabilitatis, deductis expensis, exigendum est.
- Q. Usura est prohibita jure naturali? R. Utique: & quidem alienam miseriam debemus sublevare, quantum in nostra est potestate; sed exigendo usuram ex pecunia, quæ nec est necessaria, nec in usus convertenda, non solum non sublevatur, sed & augetur pauperis miseria: ergo

Q. Montes pietatis sunt usurarii ; exigunt enim aliquid supra sortem , & tamen approbati sunt ab Ecclesia : ergo . R. Montes pietatis exigunt supra sortem ob damnum , quod aliunde emerget , si ex cumulo essent alendi administratores ; igitur , qui utilitatem accipiunt , administratorum labores debent compensare .

Q. Commodum suum habet pretium : ergo pariter pecunia , quæ commodatur . R. Nego paritatem : nam in commode est usus , ergo & pretium æstimabile : pecunia non est fructifera : ergo nullus est illius usus : ergo nec debet habere pretium : hinc in commodato manet rei dominus commodatarius , ita ut si res pereat , perit ipsi domino ; at mutuatarius transfert dominium pecuniae ad tempus , quæ , si perit , non perit mutuatario , hinc non potest dici commodari , sed mutuari , & ob eamdem rationem statim patet , toto cœlo differri mutuum à locatione , & conductione .

Q. Quid est locatio ? R. Contractus , quo pro certa mercede , rei nostræ usus alteri conceditur , si conceditur opera , est conductio .

Q. Res licet alteri locari , domino inscio ? R. Neutquam , nec fieri potest deterior , nisi quatenus exigit necessarius fei usus .

Q. Quid est interesse simplex ? R. Lucrum ultra sortem .

Q. Et compositum? R. Lucrum ultra som  
tem ob sortem, et lucrum.

Q. Quid est mohatra? R. Contractus, quo  
quis vendit rem pretio summo solvendo  
elapso aliquo tempore, sed cum pacto,  
ut emptor ei retrovendat pretio infimo  
eamdem.

Q. Quil est contractus societatis? R. Con  
ventio duorum aut plurium, qui ad ne  
gotiationem, quæstumque communem con  
ferunt pecuniam, operam, industriam, aut  
aliquid pretio æstimabile.

## A. V.

Q. Quomodo transfertur dominium? R.  
Vel *facto domini voluntario*, vel *vi legis  
naturalis & civilis*, quod fieri potest vel  
inter vivos, vel in eventum mortis.

Q. Quomodo transfertur 1º modo? R. Dona  
tione, vel contractibus *inter vivos*: et testa  
mento ob eventum mortis.

Q. Quomodo transfertur vi legis? R. Ab  
intestato.

Q. Quid est testamentum? R. Voluntatis do  
mini de rebus suis in eventum mortis  
transferendis declaratio, quæ dilucide pro  
bari potest, quo i vi legis naturalis valet,  
nisi desint requisita à lege civili apposita ad  
precavendam fraudem, utilitatemque com  
mune in prospicien iam.

Q. Qui præterea sunt in successione ab

intestato? R. Liberi, patres, cognati, &c. hanc præsumitur defuncti voluntatem esse.

Q. Sunt aliae rationes adquirendi dominium?

R. Utique præcipua est præscriptio, seu usucatio.

Q. Quid est præscriptio? R. Adquisitio dominii per possessionem bonæ fidei continuam tempore per legem definito.

Q. Quisnam vocatur possessor bonæ fidei?

R. Qui rem alienam sine vi aut dolo possidet, vel ex causa probabili credit rem esse suam.

Q. Præscriptio est justus titulus dominii? R. Utique; aliunde animi omnium dominorum incertitudine turbarentur, & lites numquam finirentur, & quidem à suprema potestate possidente in res altum dominium, de quibus pro bono communione disponere potest, cautum est ad pacem, ut transferantur dominia præscriptione, quod quidem etiam tenet in conscientia.

Q. Si ante præscriptionem dubitemus de domino rei? R. In iuri debet quisnam sit dominus, qui si fuerit inventus, restituatur.

Q. Et si periit res? R. Periit domino, non possessori bonæ fidei.

Q. Et si in proprios usus est consumpta?

R. Tantum tenetur possessor bonæ fidei ad id, in quo factus est ditior, aut ex ipsa re, aut ex fructibus ipsius, deductis

expensis, sed non ex his, qui sola industria sunt adquisiti.

Q. Si rei inventæ dominus non compareat?

R. Illud Sénecæ, *Dabo egenti sed ut ipse non egeam.*

### A. VI.

Q. Quid interest regi quantum ad tranquillitatem? R. Constituere judices ad definiendas lites, castigandosque criminosos: hi sint bene morati, instructi, & prudentes.

Q. Quid amplius debet prospicere? R. Tempore pacis inire pacta cum principibus, conjugia, alere milites, condere arces, instrumenta parare, & præcipue pecunias, quæ nervum sunt reipublicæ, congerere, servare fidelitatem, custodire sacra jura legatorum &c.

Q. Est necessarium bellum? R. Aliquando, sed cum sit calamitas maxima, debent esse causæ justæ: sed de causis belli, de justicia, aut injustitia ad subditos non pertinet judicare.

## SECTIO II.

### CAPUT I.

#### *De virtutibus moralibus.*

Q. Quid est virtus theologica? R. Quæ

Deum immediate respicit, aut fides, spes,  
& charitas.

Q. Moralis? R. Quæ circa mores versatur.

Q. Sunt necessaria fides, spes, & amor? R.  
Utique: 1<sup>o</sup> tum interna, tum externa, ut  
demonstrat interni, & externi cultus obli-  
gatio, itaque abstinendum ab his, quæ du-  
bitationem ingerere possunt, qualis est lectio  
librorum perversorum, multo magis à ne-  
gatione fidei: 2<sup>o</sup>, ut antea est dictum; ex  
his oritur Religio.

Q. Licet in persecutione fugam arripere? R.  
Utique, nisi forte sit minister sciens de-  
ficere alios ad confirmandos fideles.

### A. II.

Q. Quænam est prima & præcipua erga se  
virtus? R. Cognitio sui ipsius.

Q. Quomodo adquiritur? R. Ex aliis nos ipsos  
examinando, & historias legendo.

Q. Quid est prudentia? R. Habitus exsequen-  
di in quavis actione particulari sapienter,  
seu conformiter legi decretum est.

Q. Quomodo adquiritur prudentia? R. Præci-  
pue experientia, juvat autem historiæ lectio.

Q. Quid est sapientia? R. Habitus, quo fines  
actionibus convenientes præscribimus, & ra-  
tiones ad finem obtinendum aptiores eligimus.

Q. In quo differt à prudentia? In eo, quod exse-  
quitur prudentia, quod sapientia decrevit.

Q. Quid est fortitudo? R. Virtus, qua in

vitæ periculis, & miseriis secundum rectam rationem, divinamque legem animum moderamur.

**Q.** Quis ergo dicitur fortis? **R.** Qui absque metu officia præstat, quæ præstare debet, & paratus est subire mortem potius, quam peccare.

**Q.** Quid est patientia, quæ ex fortitudine nascitur? **R.** Virtus, qua res adversas æquo animo, divinæque voluntati submissio toleramus.

**Q.** Quid est magnanimitas? **R.** Virtus fortitudinis in rebus bellicis, hic non intellegitur furor bellicus, qui non est virtus: ergo magnanimitas regitur ab amore patriæ, publicaque salute, non à gloria & honore.

**Q.** Quid est temperantia? **R.** Virtus quæ ciborum, voluptatumque usum juxta rectam rationem, divinamque legem moderamur.

**Q.** Quibus mediis adquiritur? **R.** Considerando intemperantia, vires corporis, & mentis enervari, temperantia vero vitam produci, plures occidisse gulam quam gladium.

**Q.** Quid est castitas? **R.** Temperantia ab omni actu libidinoso.

**Q.** Quid est justitia? **R.** Virtus dirigens sui ipsius & aliorum amorem secundum sapientiam, & dicitur universalis; quæ autem exercetur in contractibus, ut sine dolo fi-

ant, commutativa.

A. III.

- Q. Quid est mansuetudo? R. Virtus omnem erga alioe offenditionem removens; hujus comites sunt veritas & taciturnitas.
- Q. Quomodo adquiritur? R. Considerando, omnes nos vitiis plenos esse; atque esse inter naturales virtutes amabiliorum.
- Q. Quid est liberalitas? R. Virtus hominum actiones dirigens circa opes gratis in alterum conferendas.
- Q. Eleemosyna? R. Quæ agentibus ad vitæ necessitatem gratis erogatur.
- Q. Est idem magnificentia ac prodigalitas? R. Neutquam, illa enim est insignis liberalitas, hæc vero est luxus.
- Q. Quid est humilitas? R. Virtus, qua ob bona sive animi, sive corporis, sive fortunæ supra alios minime nos efferimus.
- Q. Quomodo adquiritur humilitas? R. Si imperfectiones consideremus &c.
- Q. Quid est modestia? R. Virtus, quæ actiones nostras secundum rectam rationem, divinamque legem circa honores dirigit.

CAPUT. II.

*De vitiis.*

- Q. Quænam vicia opponuntur officiis erga

Deum ? R. Praeter recensita in appendice metaphysicæ, supersticio, divinatio, astrologia judiciaria, desperatio, & blasfemia.

Q. Quid est supersticio ? R. Veri aut falsi numinis cultus vitiosus, atque inordinatus.

Q. Quid est blasfemia ? R. Crimen, seu scelus, quo divinum numen profanatur.

A. II.

Q. Quid opponitur nobis ? R. Negligentia studii sui ipsius, sic efficitur homo superbus, arrogans, ambitiosus &c.

Q. Quid est superbia ? R. Vitium, quo quis supra alios sese efferre non dubitat.

Q. Quid est ambitio ? R. Insatiabilis honorum cupiditas.

Q. Quid est temeritas ? R. Vitium, quo quis se intrudit gerendis negotiis, ad quæ minime est idoneus.

Q. Quid est ignavia ? R. Vitium, quo quis in suis officiis perfuntorie obeundis laborem, periculpmque detrectat.

Q. Intemperantia potest esse in quantitate, & qualitate. R. Utique in quantitate, si nimius sit cibus, in qualitate si sit exquisitus.

Q. Quid est ebrietas ? R. Vitium, quo vini intemperantia mentis exercitium turbatur, & est illicita, & supra modum deprimit homines.

## A. III.

Q. Quænam opponuntur aliis? R. Odium, & vindicta, de quibus jam satis est dictum; invidia & avaritia.

Q. Quid est invidia? R. Vitium, quo alienis bonis sive mentis, sive fortunæ quis invidet, & est pernitosissima aliis, & invidenti potius.

Q. Quid est avaritia? R. Vitium, seu appetitus inordinatus divitiarum officiis erga Deum, erga nos, et erga alios adversus.

## A. IV.

Q. Quid est affectus seu pasio? R. Actus animæ, quo aliquid vehementer appetit, aut adversatur.

Q. Quid est appetitus? R. Propensio animæ ad objectum aliquod pro ratione boni in eo percepti, & est sensitivus, ut dictum est, si oritur ex notione confusa boni, & rationalis, si ex clara, quibus contraria est aversio.

Q. Quotuplex est appetitus? R. Duplex, concupiscibilis, & irascibilis.

Q. Quid est appetitus concupiscibilis? R. Modo definitus est.

Q. Irascibilis? R. Aversio à malo confuse percepto.

Q. Ergo erit idem affectus concupiscibilis ac amor, & irascibilis ac odium? R. Utique; &

quia amor excitat lætitiam, odium vero tristitiam, ad hos effectus etiam revocari possunt.

**Q.** Quinam sunt affectus amoris, seu lætitiae? **R.** Ambitio, gloria, fiducia, gratia animi sensus.

**Q.** Et odii, seu tristitiae? **R.** Invidia, ira, metus, desperatio, aliquae innumerabiles.

**Q.** Affectus sunt ad honorem, an mali? **R.** Si affectuum nomine intelligis animi motus, qui a ratione normam componi possunt, sunt utilles, si vero immoteros & absque regimine, sunt mali, et quilem nec ratio, nec lex prohibet ex salute, ex bonorum possessione lætitiam capere, immo connaturale est homini, adversus malos irasci, tristari de malo &c ergo.


**Q.** Potest homo duobus affectibus contrariis simul indulgere? **R.** Neutquam.

**Q.** Quæ consideranda sunt in affectibus? **R.** Necessitas, quæ oritur ex sanguine, spirituumque animalium motibus; utilitas, quia ratione regi possunt; perversitas à peccato originali, & hæc induitur nomine concupiscentiae.

**Q.** Quomodo sedantur affectus? **R.** Vigilando, compescendo eorum initia, principiis obsta &c. sed remedium est divina gratia exoptanda precibus.



Reimpresión  
Laredo.



Universidad de Zaragoza Biblioteca



3210645229